

Die 26 iunii

S. JOSEPHMARIÆ ESCRIVÁ DE BALAGUER,  
PRESBYTERI

Barbastri (in Hispania) natus anno 1902, sacerdotio initiatus est anno 1925. Die 2 octobris anni 1928 Opus Dei fundavit eoque novam in Ecclesia aperuit viam qua viri et mulieres cuiuslibet condicionis plene viverent vocationem christianam suas navitates in mundo sanctificantes: Opus Dei anno 1982 in Prælaturam personalem erectum est. Prædicatione atque scriptis plurimum contulit ad fideles laicos conscos reddendos peculiaris ipsorum missionis ecclesialis. Mortuus est Romæ die 26 iunii anni 1975.

**De Communi pastorum, præter sequentia.**

**Ad I Vespertas**

**HYMNUS**

Laudámus te cum cántico,  
impénsius, Iosephmaría,  
qui nobis vetus filiis,  
sed novum das præcónium

ut nupti sive cœlibes  
senésve sive iúvenes,  
labórem sanctum fácerent  
diébus suum síngulis

Christo quæsítio ílico,  
invéntio et super ómnia  
dilécto, possent cónsequi  
corónam vitæ et præmium.

Quæ docuísti, quæsumus,  
fac nos implére opéribus;  
vocántem omnes Dóminum  
gressu sequámur álacri.

Deo Patri sit glória  
et Fílio ac Paráclito,  
largítis tibi præmia,  
in sempitérna sæcula. Amen.

### Ad Officium lectionis

#### HYMNUS

Ipse magíster, rector, almus pater,  
dux, pastor doctus fuit et sacérdos,  
cui tu, Christe, fúlgidum donásti  
péctoris visum:

Dei a viris feminísque adiútus,  
culmen in mundi crucem ad altándam  
Christus triúmphans et sic ad seípsum  
ómnia trahens.

Fac nos, ab ævo iúgiter vocátos,  
iam ante mundi constitutióñem,  
álteros Christos, sal, ferméntum, lumen,  
cómpitis orbis:

Sal, quod præsérvet a corruptióne,  
lumen, humána péctora collústrans,  
vivum ferméntum, ferens Panem Vivum  
omni labóri.

Glóriæ summum decus atque laudis,  
sit soli Tibi, Déitas perénnis,  
Pater et Fili, Spíritu cum Almo  
nunc et in ævum. Amen.

**LECTIO ALTERA**

Ex Homilíis sancti Iosephmaríæ Escrivá de Balaguer presbýteri

(Ex Homilia *Hacia la santidad*, Ed. Palabra, Matriti, 1973, pp. 7-9, 12-13, 20-21, 23-24, 32-33, 40-41, 52)

***Vitam degens vere contemplativam medio in mundo***

Nos pénitus commótos et cor nostrum vehe-méntius pulsáre sentímus, cum diligénter attén-dimus ad Sanctum Paulum clamántem: Hæc est volúntas Dei, sanctificátio vestra. Hódie hæc verba recólere íterum mihi ipsi propóno, atque vobis et ómnibus homínibus cúpio in memóriam redígere hanc esse voluntátem Dei, ut scílicet sancti simus. Vitæ sánctitas prorsus necessária est ad pacem ánimis afferéndam, quæ vera pax sit, ad terram transformándam, et ad Dóminum Deum nostrum in mundo Eúmque per res huius mundi quæréndum. Omnes ad sanctitátem vocántur, et Dóminus ab unoquóque nostrum amórem expóstulat: a iúvene scílicet et a sene, a cœlibe et a nupto, a sano et ab ægróto, a docto et ab indócto, quem-cúmque hi labórem exércent, ubicúmque ver-sántur. Unica via est, qua cum Deo intimítate et fidúcia in dies magis coniungámur: nempe pre-catíone Deum fréquénter cólere, cólloqui cum Ipso, ex imo corde in Eum amórem nostrum significáre.

In primis aliqua prex iaculatória, ália dein, deínde ália... donec talis ánimi fervor impar vidétur, quia verba paupertáte labórant... et tunc intímitas divína succédit, cordis óculi in Deo defigúntur, nulla interiécta mora, ánimo numquam defatigáto. Tunc velut in captivitáte vívimus, quasi in vínculis deténti. Dum máxi-ma, qua póssumus, perfectióne nostræ condi-ciónis nostríque labóris offícia persólvimus, prout sinunt erróres et deféctus nostri, án-imus fúgere pércupit. Ad Deum nos vértimus, quemádmodum ferrum vi magnétis attráhitur. Incípimus Iesum modo efficacióre dilígere, dul-ci amóris pálpito.

Esse tamen cum Christo –quod numquam est obliscéndum– absque ulla dubitatió-ne impórtat eius Crucem nancísci. Si nos in Dei manus trádimus, frequénter áccidit, ut Ipse sinat nos gustáre dolórem, solitúdinem, res adversas, calúmnias, diffamatiónes, derí-sum, intus et foris; vult enim ad imáginem et similitúdinem suam nos conformári, et étiam permíttit ut álii nos deméntes vocent et stul-tos exístiment. Si re vera humanitátem sanctís-simam Dómini nostri admirábimur et amá-bimus, tunc nos síngula eius vúlnera discer-némus. Et inter hæc passívæ purificatiónis témpora, acérba quidem et fórtia, dúlcium simúlque trístium lacrimárum plena, quas celáre conábimur, nos necessitátem sentiémus

abscondéndi nos ipsos in síngulis illis sanctíssimis vulnéribus, ut purificémur, ut illo redemptóre sanguine perfruámur, ut corroborémur.

Tunc cor necessitátem advértit distinguéndi Persónas Divinas eásque síngulas adorándi. Et hæc est nova quodámmodo invéntio, quam ánimus asséquitur in vitæ supernaturális itínere. Et ídeo amánter conversátur cum Patre, cum Fílio, cum Spíritu Sancto; et libénter se submíttit actíoni Parácliti vivificántis, qui nobis datur absque ullo mérito nostro. Tunc verba desunt, língua dícere quæ sentímus non valet. Quiéscit iam et intelléctus. Non ratiocinátur mens: intuétur tantum! Et ánimus dénuo in cáanticum novum erúmpit, quia se sentit et scit a Deo mútuo redamári, quólibet diéi moménto.

In hac donatióne, zelus apostólicus incénditur et in dies magis augéscit, itémque inter álios huiúsmodi desidérium propagátur, quia bonum est diffusívum sui. Fíeri non potest, ut nostra húmilis natúra, tam Deo próxima, desidério non árdeat gáudii et pacis gérminalia per mundum univérsum seminándi, ómnia irrorándi aquis redemptrícibus quæ ab apérto Christi látere prófluunt, atque offícia ómnia ex amore incipiéndi et absolvéndi.

Prótegat nos Virgo Beatíssima, Mater Dei et Mater nostra, ut unusquísque nostrum in plenitúdine fídei per Spíritus Sancti dona et vitam contemplatívam, Ecclésiæ inservíre possit.

## RESPONSORIUM

Eph 1, 4; 1 Pt 2, 21

**R.** Deus elégit nos in Christo ante mundi constitutióñem, \* Ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte.

**Y.** Christus passus est pro vobis, vobis relínquens exémplum ut sequámini vestígia eius.  
\* Ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte.

## Ad Laudes matutinas

## HYMNUS

Sanctum laudémus, vias qui monstrávit,  
áditum dedit limináque pandit,  
ábditæ in Christo vitæ, contemplátus  
frémitu in mundi.

Dómini vultum mitem requiréntes  
vicos per medios prætereúntis  
ab exemplári fíngimur divinis  
lineaméntis.

Hoc est ætérsni spéculum collóquii  
pignus divinæ conversatióñis,  
qua sanctus ipse frúitur in astris  
per ævum lætus.

Gáudio plenis córdibus canámus  
glóriæ laudes Tríadi beátæ,  
quæ sancto dedit cælitem corónam  
Iosephmaríæ. Amen.

**Ad Benedictus, ant.** Non vos me elegistis,  
sed ego elegi vos et posui vos, ut vos eatis et  
fructum afferatis, et fructus vester maneat.

### Oratio

Deus, qui sanctum Iosephmariam, presbiterum, universalis vocacionis ad sanctitatem et ad apostolatum in Ecclesia praecconom effecisti, eius intercessione et exemplo concede, ut, per cotidianum laborem Iesu Filio tuo configuremur et redemptoris operi ardenti amore serviamus. Per Dominum.

### Ad II Vespertas

#### HYMNUS

Tu cotidianas vias demonstrasti  
exemplum Christi docens imitari  
infundens lumen quod clare vidisti  
obediens Luci.

Silente vita atque sine spectaculo,  
exercuisti munus sacerdotis  
praecepita Dei vere praedicando  
humilitate.

María Virgo te semper protexit  
amoris pulchri veneranda Mater  
Ancilla Domini, sapientiae sedes,  
atque spes nostra.

Ora pro nobis, o beáta Virgo,  
benedictáque Mater Dei nostri,  
in vita Tu quæ tutum iter paras,  
semper et servas.

Ad Deum Trinum vultum elevémus  
mentéque pia simul adorándo  
et collaudémus cum Patre et Fílio  
Numen et Sanctum. Amen.

**Ad Magnificat, ant.** Mandátum novum do  
vobis, ut diligátis ínvicem; sicut diléxi vos, ut  
et vos diligátis ínvicem.

Concordat cum originali (cfr. C. de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Prot. N. 1308/02/L).